DE

DYSENTERIA TROPICA.

AUCTORE

F. A. M'CANN.

CHIRURG. MILITAR.

.. denique
Nullum est jam dictum, quod non sit dictum prius,
Quare aequum est vos cognoscere atque ignoscere,
Quae veteres factitarunt, si faciunt novi.

TERENT. EUNUCH. PROL. 40.

(23

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA TROPICA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

F. A. M'CANN,

Hibernus,

CHIRURG. MILITAR.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT D. SCHAW ET FILIUS.

1818.

CONTENTA.

23

DE

DYSENTERIA TROPICA;

SEU

DE DYSENTERIA,

APUD INSULAS TROPICAS "BRITISH WEST INDIES" DICTAS.

SECT. I.

PROEMIUM.

1. NONNULLIS Febrium varietatibus exceptis, Insulae supra dictae nullum morbum adeo generalem et pestiferum habent, ac Dysenteriam.

2. Ideo est quod Scriptorum practicorum attentionem saepenumero sibi vindicavit; atque plures, probatissimi ingenii, varias hujus morbi formas, minutissimè et accuratissimè depinxerunt.

3. Quum tamen singuli de propriâ fere experientiâ scripserint, atque hac, cum certâ regione vel certo hominum genere comparatâ, descriptiones eorum quâdam ex parte mancæ, nec raro contrariæ existunt, signis vel malis ab his notatis, frequenter ab illis prætermissis, vel fortasse pernegatis.

4. Hinc multùm incerti exortum de vero morbi progressu, hinc multi errores medendi rationem obscuraverunt.

5. Sibimet invicem has res conciliare, connectere, ad formam quoque simpliciorem redigere, atque condensam quasi et aliis abstractam, HISTORIAM DYSENTERIÆ UT APUD INSULAS ANGLO-INDICAS OBSERVATÆ tradere, *Tentaminis hujusce* propositum est.

6. Haud indecorum erit tamen adjecisse, *paucissima in paginis sequentibus repertum iri, quorum veritatem auctor ipse non ex propriâ experientiâ testis extiterit.*

7. Talis propositi haud quaquam pars erit, varias conjecturas quæ de causâ hujus morbi

proximâ prolatae sunt, neque magis, varios medendi modos oblatos, notare.

8. Nec in paginis insequentibus ullam censuram errorum vel omissionum scriptorum ullorum reperies. Nec ullam ablegationem, citationemve, indiciorum, signorum, vel curationis morbi, ullâ regione ultra limites, quos suprà circumscripsimus.

9. Ob haec, si quid hic traditum accommodationem latiorem ferat, quàm ut vides auctor ipse contemplatur, talis adaptionis laus ipsi soli debetur, cujus doctrina vel experientia talem sensum excogitare potuit.

2. MORBI DESCRIPTIO.

DEFINITIO.

" Pyrexia, dejectiones frequentes morbi-
" dae, tormina, tenesmus."

10. Morbus vehementiae varios gradus induit; modò, tormina levicula, dejectiones crebras morbidas, modicâ vel nullâ Pyrexiâ comitante; modò, violentem Febrem, dolorem cruciabilem, tenesmum perpetuum, profluvia sanguinis profusa, mortem subitam.

11. Nec ullum discriminantem terminum assignare possumus, inter exempla leviora quae "Diarrhoeæ" appellari possint, et graviora, "Dysenterias" jure nominandas, discrimine tam levi ab alio in aliud transitur.

12. Progrediente tamen morbo, cùm aliquamdiu protractus fuerit, duo status vel tem-

pora valde diversa notare est, quae " Acuta, et Vetusta Dysenteriae tempora" nuncupantur.

13. Tempus primum vel Acutum, spatium includit morbo coortum, et signis Pyrexiae cessatis determinatum.

Dejectiones tamen, tormina, et tenesmus adhuc saepe restant, Tempusque Vetustùm constituunt, quod ad valetudinem vel ad mortem usque producitur.

14. Morbi duratio multùm variat variis hominibus pro ratione aetatis, loci, curationis, et caeterorum.

15. Exemplis quibusdam celerrimo pede progreditur, violentis inflammationis signis incipiens, atque letho, etiam ante diem septimam, terminatus.

16. In aliis, febris vel inflammationis signa, rarò post diem quartum decimum protrahuntur, atque sub finem tertiae hebdomadae, malum, si hucusque traxerit, aut morte mutatur, aut formam vetustam induit.

17. Morbi Vetusti durationi limites nulli probabiles attribui possunt. Nonnunquam feliciter, intraque paucas hebdomadas desinit; saepe per multos menses protractus, hominem tandem opprîmit.

Apud hasce quidem regiones inter Tropicos collocatas, forma Dysenteriae Vetusta, quam Acuta, pluribus lethalis fit.

18. Morbus aliquando incipit ut in Diarrhoeâ, lenis primo vel secundo die, febre et dolore vacuus.

19. Aliquando, quasi Colica Pictonum, (Ang. *Dry-belly-ach,*) doloribus gravibus, vomitu perpetuo, obstipatione pertinace.

20. Aliàs, prima indicia tormina sunt, acria et subita, febre tamen vacua, dejectionibus copiosis subsequentibus.

21. Nonnunquam etiam ut vera Cholera incipit, nauseâ vehementi, dolore immani, vomitu purgationeque assiduâ et biliosâ.

22. Sed qualicunque ex his modis accedat, Pyrexia cito oritur, dejectiones morbidæ appa-

rent, atque paulatim indubia Dysenteria inducitur.

23. Plerumque tamen, praesertim ubi Endemicus, horrore levi, nauseâ, capitis dolore aggreditur, quibus calor, tormina, dejectiones crebrae superveniunt.

24. Sensim Febris augescit, abdomen fit tensum, pressum dolet, tormina graviora fiunt, dejectiones frequentiores et minus naturales, Tenesmo nunc succedente.

25. Progrediente morbo vires rapidè dilabuntur, atque tormina, tenesmus, dejectiones et magis assiduae, et minus tolerabiles fiunt. Brevi, nullum doloris intervallum aegrum solatur, omnis animi vis perit, atque miser, si non cupidè, indifferenter tamen adventum mortis expectat.

26. Tandem pulsus intermittit, singultus invadit, lingua nigrescit, coma forsan vel delirium mite accedit, dejectiones sine sponte descendunt, foetore teterrimo comitante, sudor viscidus, frigidus erumpit, oculi fixi quasi vitrei apparent, et mors lentè supervenit.

27. Talis fere morbi progressus est cùm in mortem desinit sub formâ acutâ. Sed plerumque, decedente Febre, alia signa quodammodo mitescunt, atque paulatim ex toto cessant, aut in statum vetustum sensim transmutantur.

28. Pòst signa Febris et inflammationis prorsus subsederunt, progressus ultrà morbi saepe inhiberi videtur, dum tormina, tenesmus atque dejectiones crebrae usque adhaereant, vehementiâ tamen redactâ. Hoc "Tempus Vetustum" constituit.

29. Aeger nunc plurimis levaminis intervallis fruitur, praesertim interdiu. Subinde etiam per totos dies molestiâ omni et dolore liberatur, appetitus cibi saepe redit, atque animus reviviscit.

30. Nullum tamen vigorem redipiscitur, nam purgatio adhuc continuatur, prœeunte nunc dolore, tenesmo sequente. Sic corpus emacressit et quotidie infirmius fit ; abdomen sub-

sidit, atque figuram valde concavam assumit; integumenta super sacrum aliaque loca quibus corporis pondus insistit, diuturnae tandem pressurae cedunt, cibi appetitus iterum fugit, vires omnino pereunt, atque postremò, ipse, quàm miserrimè emaciatus, animam efflat.

3. DE FEBRE COMITANTE.

31. Quando morbus Epidemicus est vel notâ graviore, Febris comes ejus formam Remittentem, Synochalem, vel Typhodeam induit.

32. Ejus conjunctiones cum primâ frequentissimae sunt, tempore acuto minus perniciosae, atque assumere, vel terminare in formam vetustam, pronissimae.

33. Febris haec quandoque et Dysenteria stadia percurrisse per se videntur, illa *remissiones* regulares ostendens, haec imminuta perstans. Atque nonnunquam *remissiones* observari possunt etiam in propriis Dysenteriae signis.

34. Forma Synochalis haud saepe videtur, nisi in militibus nautisque recèns a regionibus frigidioribus huc advectis. Morbus apud tales sub formâ gravissimâ apparet, atque vehementiâ et celeritate omne saepe auxilium frustratum dat.

35. Forma typhodea fortasse nunquam videtur nisi in nosocomiis confertis ubi *Typhus gravior* grassatur; istiusmodi locis subinde apparet, atque sic morbus, magis contagiosus et magis perniciosus Febre ipsâ, constituitur.

36. Qualiscunque Febris forma morbum comitetur, *delirium* notandum est, rarò apparet donec mors appropinquat, atque plurimis, hoc ingratissimum signum nunquam omnino supervenit.

37. Exemplis gravioribus (34.) *Cutis flavedo* nonnunquam apparet. Res tamen rarissima habenda est, nec ullum medendi consilium indicat.

4. DE VESTIGIIS MORBIDIS CADAVERE INVENTIS.

38. Vestigia morbida Dysenteriae propria intra abdomen continentur, atque ex abdomine contentis Canalis Alimentarius solus constanter afficitur.

39. Jecur, Lien, aliaeque quidem partes subinde morbidae reperiuntur, sed affectus istiusmodi fortuitus est, nec eventus vel necessarius, nec forsan etiam frequens.

40. In exemplis mortis rapidè confectae, Intestina Majora per totam longitudinem, inflammationis recentis vestigia graviora exhibent.

41. Nonnunquam etiam Gangraena accessisse reperitur, praesertim in Recto, parte vicinâ Coli, et Capite Coli, partibus nimirum quae semper praecipuè afficiuntur.

42. A Capite Coli inflammationis vestigia per Intestina Minora extendunt, et paulatim, ventriculum versus decrescunt, ubi plerumque levissima sunt.

43. Morbo longè protracto, ventriculus et Intestina Minora aspectum plerumque omnino

naturalem exhibent; nisi forsan parvulam Ilei portionem Capiti Coli proximam, ubi saepe textura paulum condensata est.

44. Intestina Majora universa multùm latitudine contrahi, multùm texturâ densari apparent, atque tunicae divisae fabricam spongiosam carnosamque demonstrant.

45. Extrinsecus, obscurissimi fere coloris sunt, qui tamen non ab inflammatione recenti, congestioneve venosâ, sed a peculiari fabricae mutatione provenit.

46. Intrinsecus, superficies adhuc atrior, viscoque foetido illita, quo amoto, innumera parva tubercula, pustulae, atque ulcuscula apparent, hìc distincta, illìc confluentia.

47. In Recto haec morbida vestigia praenotabilia semper sunt. Hìc ulcera semper maxima, tunicarumque densatio, luminisque contractio saepe tam magna, ut pervium ejus propemodùm obliterant.

48. Dictum est (15.) hunc morbum lethalem fieri aliquando ante diem septimam.

Iterum, (17.) Saepe per plures ante menses trahere quàm in mortem desinat.

49. Primo exemplo, sub tempore morbi quàm maxime inflammatorio homo opprimitur. Secundo, diu postquam omne inflammationis signum evanuerit, vita decedit.

50. Cùm, vitâ durante, indicia horum temporum valde discrepant, sic post mortem, Vestigia morbida diversissima inveniuntur.

51. Primo exemplo, partes praecipuè affectae, inflammationis recentis et vehementis omnia vestigia exhibent.

Posteriore, fabricam partium mutatam nobis praesentant, omni quidem recentis inflammationis vestigio expertem.

52. Quum autem mors omni temporis intervallo inter haec duo extrema (48.) occurrat, vestigia ideo morbida perpetuò variare videntur, atque hos duos status (51.) vel conditiones participare, secundùm morbi progressum ad tempus quo moritur.

53. Itaque, in omnibus mortis exemplis serò Tempore Acuto advenientis, vestigia quaedam

perturbationis organicae ut plurimùm reperientur.

Atque quaedam recentis actionis inflammatoriae vestigia adhuc haerentia saepe detegi possint, longùm post malum formam vetustam induerit.

54. Vestigia quoque inflammatoria (42.) quae Ventriculus et Intestina Minora prae se ferunt in exemplis mortis citioris, potius ut consectaria quam primaria fortasse habenda sunt. Nam graviora semper sunt in illâ Ilei sede Capiti Coli proximâ, unde "paulatim ventriculum versus decrescunt," atque aspectus eorum Tempore Vetusto non excipitur ullâ fabricae mutatione.

55. Res tamen perquam diversè se habet de Intestinis Majoribus. Omnibus hominibus et omni tempore morbi affici reperiuntur, atque etiam, majore in gradu quàm pars quaevis alia. Concludere igitur fortasse aequum est, "Vestigia morbida iis detecta, sola huic morbo necessaria esse."

5. DE CAUSIS REMOTIS.

56. Insulis suprà dictis Dysenteria quotannis inter Tempestates pluviales plus minusve Epidemica dicatur, praesertim apud servos, homines nimirum parum liberaliter curatos.

57. Locis montanis quoque, ubi Pluvii semper magis indesinentes quàm in campis, milites, sub hac tempestate, Dysenteriâ magis quàm ullo alio morbo, vexantur.

58. Aliquando et siccissimis anni temporibus inter milites, stationes occupantes elevatas et plenè vi ventorum patentes, ad ingentem gradum grassatur. Talibus enim sedibus homines quotidie magnis et subitis caloris et frigoris alternationibus objiciuntur.

59. In iis a regionibus frigidioribus recèns advectis, morbus saepe induci apparet expositione sui incautâ radiis solis, vel exercitatione vehementi, cum usu immodico fructuum, potûs acidi, aliorumque parum idoneorum.

60. Quin et notandum est, his in exemplis ultimis (58, 59.) morbum semper gravioris magisve inflammatoriae formae esse, quam in exemplis praecedentibus, (56, 57.)

61. Dysenteria quoque in plurimis exoriri ab iisdem causis generalibus, atque intimè connecti Febre endemicâ Remittente apparet.

62. Isti enim morbi saepe Epidemicè eodem tempore et loco grassantur. Nonnullis suimet invicem vicarii videntur; in aliis conjunguntur, et aliquando, Febris nascitur quum Dysenteria cessaverit.

63. Saepius Febris Dysenteriâ excipitur, casus valde frequens, semperque timendus quum Febrem Diarrhoea critica determinat.

64. Locis humilibus paludosis quoque ubi gravissimae Intermittentium formae dominantur, Dysenteria constanter invenitur—hìc, homines aliis morbis extenuatos adoritur, raró multùm Pyrexiae exhibet, atque celerrimè formam vetustam assumit.

65. Supra comprehensum est (35.) quòd certis in locis, Dysenteria Febre Typhodeâ connexa, reperiatur.

66. Haec forma morbi sine dubio contagiosa est, et fortasse, haec forma sola. Certè, indagatio et experientia propria nullum mihi exemplum his regionibus praestiterunt, Dysenteriae Contagiosae Febre Synochali aut Remittente conjunctae.

6. DE RATIONE MEDENDI.

67. Proposito hujus Tentaminis alienum esset, ad minuta curationis, unicuique formae et varietati hujus morbi accommodata, vel ad ea, singula tantùm mala sublevantia, descendere.

68. Tale quidem inceptum, in omni parte utilitatis plenum et non ingratum, fines longè extensiores postularet, quàm nunc huic tractatui assignari possunt.

69. Nihil amplius igitur hic propositum est, quàm rapidam tradere adumbrationem illorum Medendi elementorum generalium, quae ab historiâ antecedente deducantur; et quae quidem si vera, omni morbi varietati plus minusve applicanda erunt.

70. Vestigia morbida (40.) semper et omnibus exemplis mortis citioris inventa, Rationem Medendi, morbi initio aptam, distinctè indicant.

71. Hoc tempore Febris et inflammationis Intestinorum signa totam animadversionem nostram desiderant. Ab his enim solis periculum nunc metuendum est, atque his solùm amovendis levamen non incertum obtineri potest.

72. Ad hoc efficiendum, promptissima et strenuissima consilia ineunda sunt. Namque partis ipsius inflammatio nisi celerimè superata, vel mortem citò affert, vel morbi pertinacis fundamenta ponit.

73. Haec consilia omnia sub illo peculiari medendi modo includuntur, cui vocàbulum Antiphlogisticum commodari solet.

74. Nonnullis in exemplis haec curatio ad extremum usque gradum promovenda est—in aliis, necessarium erit adhibere tantummodo gradu valde mediocri; nulli limites hìc designari possunt; auxiliorum quidem delectus a rebus fortè praesèntibus usque pendere debebit, atque singulis exemplis haec adoptari debent, quae proposito praesenti attinendo melius accommodantur.

75. Cum Febris et inflammationis signorum decessu, curationem ipsam variare oportet, adeo ut indicationes eveniant refectionis, mortis, aut morbi protrahendi. De ultimâ solâ hìc agendum est.

76. Conatus nostros ad formam Dysenteriae Vetustam seu tollendam seu cohibendam, iisdem Vestigiis morbidis (44.) rursus dirigi oportet, quae mors in exemplis diu protractis, nunquam non exhibet.

77. Fabricae illa perturbatio huic tempori propria, cohibenda aut removenda est. Atque nulla Medendi Ratio constanter vel generaliter felix esse potest, cui non hoc propositum pro fundamento sit.

78. In praesenti humanae scientiae progressu, hoc propositum solummodo attingimus, saltem certâ aliquâ fide, ex Hydrargyi usu. Hydrargyro quidem maturè et prudenter exhibito, longè saepius id consequi poteris.

79. Huic igitur medicamento protinus confugiendum est, quandocunque apud hoc tempus (75.) indicia morbi in formam Vetustam

transituri appareant. Atque hoc quoque confidere debemus, siquando illa formà reverà supervenerit.

80. Modus tamen usurpandi hîs duobus exemplis nequaquam idem est; priore, consilium est, progressum morbi quasi antevertere; in proximo, lentâ et aequaliter auctâ operatione fabricae perturbationem, subitas mutationes aegrè suscepturam, removere.

81. Medicus rationalis quoque, noxios effectus nunquam mente excidere sinet, quos potentissimum hoc medicamentum superinducere valet, atque nec praematurè, ut praesidium contra Febrem exhibebit, nec usu tardo et intempestivo, adventum mortis non vitandae properabit.

FINIS.